

## L 15 Wiedersehensfreude

A: „Quae<sup>1</sup> est causa itineris vestri, Domiti?“

D: „Causa itineris nostri, Aufidi, est gravis.

Cognovimus puellam nomine Flaviam inter servas tuas esse.

Civis Romana est neque serva esse debet.

Ego pro patre – procurator<sup>2</sup> est in Creta – Flaviam una cum Galla serva redimere<sup>3</sup> cogito.“

Aufidius diu verba Domitii secum cogitat.

Tandem se facilem praebet, haud acrem: Unum e servis puellas arcessere iubet.

Post breve tempus intrant.

Flavia Quintum Domitiumque videt, consistit, lacrimas vix tenet.

Tum: „Quam felix sum!“<sup>4</sup>, et in complexum<sup>4</sup> amici currit:

Se liberam esse, labores suos finitos<sup>5</sup> esse scit.

Galla autem maesta stat, nam sortem suam ignorat.

Subito Aufidius: „Bene, Domiti! Puellas tibi cedo.“

Tum: „Hunc diem celebremus<sup>6</sup>!

Hodie grex<sup>7</sup> Atheniensis in villa fratris mei

pantomimum<sup>8</sup> de iudicio Paridis agit.

Venite mecum!“

Mox omnes spectaculum spectant.

*Iuno, Minerva, Venus pretium formae sibi vindicant.*

*Iuppiter Paridem iuvenem iudicare iubet.*

*Deae animum iuvenis donis sibi conciliare student:*

*Iuno regnum omnium terrarum promittit, Minerva sapientiam,*

*Venus Helenam, formosissimam<sup>9</sup> omnium mortalium.*

*Paris Venerem formosissimam<sup>9</sup> dearum esse iudicat.*

Quintus oculos vertit in amicam – Flavia ridet.

---

1) **quae**: was 2) **prōcūrātor**, -ōris m: Verwalter, Statthalter 3) **redimere**: freikaufen 4) **complexus** (Akk. Sg. **complexum**): Umarmung, Arme 5) **finitus**, -a, -um: beendet 6) **hunc diem celebremus**: lasst uns diesen Tag feiern! 7) **grex**, **gregis** m: Schauspieltruppe 8) **pantomīmus**, -ī m: Pantomime (*Schauspiel ohne Worte*) 9) **fōrmōsissimam**: die schönste